

Friedrich Berlich    Wilhelmus Hille ab

## **Disputatio Ethica De Virtute Morali In Genere**

Rostochii: Kilius, 1646

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730226255>

Druck    Freier  Zugang



Rh phil 1646  
Friedrich Berlichius  
Wilhelm ab. Hillen





DISPUTATIO ETHICA  
DE

72.  
VIRTUTE  
MORALI IN GE-  
NERE

*Quam*

DUCE DEO

Consensu Amplissimæ Facult. Philos.  
in Illustrissima Rostochiensium  
Academiâ

SUB PRÆSIDIO


*VIRI Eximij & Clarissimi*

DN. M. FRIDERICI BERLICHII,  
Lipsiensis,

*Placido eruditorum examini publicè submitto*

WILHELMUS AB HILLEN,  
Osnabrug. Westph.

*ad d. 7. Octobr. horis pomeridianis  
in Auditorio Majori*



ROSTOCHII,

Typis NICOLAI KILII, Academiæ Typographi,

ANNO M. DC. XLVI.





Σὺν Θεῷ καὶ λόγῳ

Prooemium.

**Q**uod magna sit Philosophia utilitas, quotquot haecenus bonarum artium studio animum consecrarunt, habebunt, quod fateantur. Non modo enim animus hominum rudis & imbecillis cognitione veri, sed & actione honesti perficitur, Ultra vero alteri preponi debeat, disquisitionis serrâ agitatur ab authoribus, quorum sententia in diversum abeunt. Sed primas Philosophia Practica qui non assignaret? Non enim jam dicam, quod à prudentiâ ceu fonte perennante virtutes fere omnes promanent. Non dicam quod per eandem homo Rex mundi & Princeps constituatur. Sed quemadmodum Actio communi fermè Philosophantium calculo, cognitioni propter summum usum praefertur, haud dissimili ratione practicam usum suum cum in statu Oeconomico, ut à pueris ritè educemur, tum statu Civitatis & Republica, nec non privatorum conversatione abundè declarantem Theoretica praferendam censeo. Inter illas verè nos amore suo cepit Ethica, qua veram viam ad virtutes monstrat, à vitiis animos nostros purgat, affectus moderatur, & actiones fermè omnes ad honestatem dirigit. Sic plurimi populi inprimis verò inter illos, quibus originem & praesinentiam suam imperium Romano-Germanicum acceptum refert, Romani summo opere virtutem liberis suis inculcarunt, eorumq; animos potius ad labores perferendos, quàm segne otium sectandum assueseri curarunt. Hinc esse puto, quod Catonis filius puella aquam petiture urnam ex petulantia frangens juvenili, licet decimum quintum aetatis annum non impleverat, ex urbe pomeriis relegatus fuit. Tantum erga virtutes forebant cultum, imo ut mallent liberis

plane privari, quam vitiis indulgentes nutrire. Quod sanè abundè monstrat factum primi post exactos Reges Consulis Bruti, qui non minus republica favore ac virtutis amore liberos suos Reges in urbem reducere intendentes, in forum protraxit, & concione media virgis casos securi percussit L. A. Flor. lib. 1. cap. 9. Sola quippe virtus, bonam famam conciliat, beatos reddit, honoratos efficit, nobiles constituit, Virtus contra Sirenum cantus amuletum, contra fortunæ tela ancile, in parandâ quoq; eruditione adjumentum, & paratâ ornamentum nobis confert, & ut doctrina honorem, ita morum comitas & virtus benevolentiam & amorem conciliat. De hâc nobilissimâ materiâ dum placidam disquisitionem instituimus, summum illud Numen, sine cujus auxilio omnis labor noster inanis, humillimè Spiritus Sancti assistentiam rogamus, sic itaq; bono cum Deo

THESIS I.

**Q**uemadmodum rerum obscuritas in vocabulis, quæ easdem exprimere debent ut plurimum lateat: ita vocum diversis significatibus excussis, res ut sunt & quo de capiendæ facile dignoscere possumus. Cum itaq; vocabulum virtutis, quâ de disputaturi, non uno in significato usurpatum detur, quo sensu nos id ipsum accipiamus, demonstrare, ne de incerto disquisitionem instituere videamur, laborabimus.

§. 1. Accipitur vero generaliter pro cujusvis rei operatione, qualitates vi & efficacia, & tam inanimatis quam animatis attribuitur; Inanimatis, ut Magnetis vis attrahendi ferrum; Animatis si adscribitur, notabiles eorum denotat proprietates, v. g. virtus in aquilâ, ipsum solis jubar oculis immutatis intuente.

§. 3. Specialiter ad hominis animum refertur, in quo bonas & laudabiles actiones denotat; & iterum sumitur vel potentialiter, pro naturali quadam inclinatione seu dispositione, vel indole ad hanc vel illam actionem, ad hoc vel illud studium percolendum; vel habitualiter, ut est habitus rationi conveniens, per crebras actiones ex istis inclinationibus industriâ humanâ excitatus. Hic habitus discerni solet in intel-

intellectualem & moralem; sed cum intellectualis directâ tractatione, tanquam medium finem Ethicæ consequendi non tradatur, sed modò propter directionem, eo etiam seposito, Moralem à moribus, quos in hominum societate format ita dictum considerabimus.

§. 4. Cicero 2. Tuscul. quæst. derivat vocem virtutis à viro, dubio procul quod viros maximè deceat; non ac si mulieres plane à virtutibus excludantur. Quamvis enim mulierum genus imbecille & variis fragilitatibus obnoxium, licet corporibus earum mollitiem, animis inconstantiam adscribant: tamen castas, temperantes, fortes imò prudentes reperiri experientia clamat & exempla multa recenset Lipsius in monit. & exempl: polit. lib. 2. C. 2. mon. 3. Ubi inter alia exemplum Pulcheriæ Theodosij Junioris sororis refert, ipsa enim videns fratrem inconsideratis nec lectis libellis nonnunquam subscribere, Fratri libellum obtulit, in quo petit conjugem ejus sibi in servitutem dari. Pollicem ipsi cum pressit Theodosius, Eudociam maritam ejus aliquantum apud se retinere, evocantiq; eam fratri denegare. Ipsam enim ob ipsius subscriptionem jure possidere patebat, ex quo factò prudentia mulieris satis apparet. Quid? quod Fœminæ nonnullis in regnis ad imperium etiam admittantur. Sed quæ ad gubernationem & quales dotes animi requirantur neminem latere arbitramur. Non omnes Cleopatram, non omnes Messalinam actionibus suis exprimunt vel imitantur.

§. 5. Possset & hæc subjungi ratio, nempe quod virtus denominetur à viro, spectatâ fortitudine quæ per excellentiam non semel virtus vocari solet. Comperimus enim plura sese exempla offerre virorum animosorum & fortium quam feminarum, fortè propter humorum imperfectionem. Cui astipulari videtur & Græcum vocabulum, quod derivant à Marte vel bello, quod in bello præcipue virtutis vis eluceat.

§. 6. Virtus Moralis definitur ab Aristotele. 2. Ethic. Nicom. c. 6. Habitus prælectivus in mediocritate consistens, ea quæ ad nos est definita ratione, & ut definiret ipse prudens.

§. 7. Constat hæc definitio Genere & differentia. Genus est habitus. Virtutem Moralem habitum esse nemo inficias ibit, qui secum perpendit, eam ceu qualitatem crebris actionibus comparari, & omnia



habitus requisita participare, Ut enim necessaria ad habitum naturæ aptitudo, priusquam facilius & felicius actiones edere possimus, requiruntur deinde etiam præcepta, quæ docent, quomodo habitum nobis comparare possimus. Et deniq; necessum, ut præcepta illa in ~~ostenduntur~~ transferantur, & crebra exercitatio accedat. Ita & virtus naturam congruentem postulat quæ præcepta capere possit, & in iis se exercere v. g. si quis circa terribilia moderatè versari discat, sapius etiam versetur, vel si se ad alterutrum propendere sentiat ad ejus contrarium, sicut qui lingua distorta dirigunt, deflectatur, fiet, ut & defectum & excessum averteatur, quod virtus est.

§. 8. Dein, quodcumq; in animo est, id vel ut habitus vel ut affectus, vel ut potentia inest. Sed virtus ad affectus referri nequit, liquidem ea cum deliberatione suscipitur, affectus vero desinente Senecâ, Epist. 16. sunt motus animi subiti & concitati nec cum deliberatione sunt conjuncti. Nec ad potentias. Propter potentias enim quis nec bonus nec malus denominari potest, cum è contra à virtute boni dicamur. Et tandem habitum relinqui videmus.

§. 9. Hoc dum asserimus negamus simul virtutem naturâ nobis inesse. Est enim virtus habitus qui assuefactione acquiritur, jam si à naturâ inesset, & sufficiens principium intus haberet, ad externa non refugeret, nec ullâ assuefactione aut consuetudine mutari posset. Quæ enim naturâ sunt insita, eodem modo se habent, nec per eadem generari aut corrumpi possunt. Arist. lib. 2. de gen. & corrupt. sed habitus morum actionibus & generari & corrumpi possunt. corruptela malæ consuetudinis igniculi extinguuntur à naturâ dati, exoriunturq; & confirmantur vitia contraria. Cic. 1. de leg. Proinde in omnibus eandem naturam qui participarent eadem reperirentur virtutes, sed quæ his se dissimilitudo offert? Taceo quod majus est, quod statim à tenerrimis annis virtute præditi forent, ac ita institutio & educatio non requireretur. Præterea si virtus naturâ inesset, cur ad eandem legibus præmiis & poenis invitetur? Quicquid enim homini naturaliter insitum est, eo uti decet, & quicquid agat agere pro viribus. Cic. in Cat. maj. Imo nec opus foret legibus, nec admonitionibus, cum tamen sine lege nec domus ulla, nec civitas, nec gens, nec universum hominum genus stare, nec rerum natura omnis, nec ipse mundus potest. idem. 3. de legib.

§. 10. Non

§. 10. Non parùm tamen ad virtutis generationem conferre naturam, extra disceptationem ponimus. Non tamen est sufficiens, nisi præceptorum cognitio, & rerum usus accedat.

§. 11. Uterius quæritur, an hic intelligatur, Habitus intellectus an voluntatis & appetitus. Socrates equidem suppeditante nobis Aristotele, 6. Ethic. Nicom. cap. 1. finem vitæ esse putavit cognoscere virtutem, & investigare quid esset iustitia, quid fortitudo; & Plato l. 4 de Repub. Fortitudinem definit rectam de terribilibus opinionem. Verùm id usu venire in scientiis propter finis diversitatem non negamus, in Practicis verò aliter se res habet. Potius enim virtus, quia in actione consistit, voluntatis est, quam scientiæ, in scientiâ enim acquiescere non est virtutis. Sed eam agendo implere. Quemadmodum enim sani esse malumus, quam scire, quid sit sanum esse: Ita nec scire, quid sit fortitudo, sed esse fortes nos decet.

§. 12. Dicitur vero ille habitus prælectivus, id est cum deliberatione seu prælectione agens. Quæ enim recta ratio decrevit, constanter sunt præligenda, appetitus enim ita à ratione debet dirigi, ut id sequatur vel fugiat, quod à ratione rectâ vel approbatum vel reprobatum fuerit.

§. 13. Dum vero prælectivus vocatur, indicatur simul, virtutem esse animi, non corporis habitum. Virtus enim non tam formosum corpus, quam animum quærit, potestq; sub quâlibet cute ingenium beatissimum latere. Quemadmodum enim in humili casulâ vir eximius habitare, ita in deformi corpusculo formosus & eximius animus existere potest. Hoc in passu Socrates nobis in exemplar editus videtur, ut sciamus deformitate corporis animum non fœdari, sed pulchritudine animi corpus ornari, ut ille ait. Corpus quidem requiritur, cui anima insit; attamen non tam corpori, quam animo, tanquam præcipuæ parti virtus inhaerere videtur.

§. 14. Præterea hæc voce excluduntur bestię seu bruta animalia. Canis enim frustum panis præ auro appetens, hoc fecit modò ex appetitu sensitivo absq; iudicio & consultatione: ita & pueri cultrum aut pomum pro thalero arripiunt. Eâdem ratione & in bruta summum bonum cadere negatur, Summum bonum quippe est operatio animæ rationalis, secundum virtutem optimam & perfectissimam in vita perfecta. Arist. 1. Ethic, 3. deficit enim in brutis ratio, quæ actionum est  
dire-

directrix; imò bestia, quæ operantur naturâ non intelligunt nec sciunt: Videtur equidem Horatius hac in controversia pollicem suum nobis denegare canens:

*Fortes creantur fortibus, & bonis  
Est in juvenis, est in equis patrum  
Vireus, nec imbellem feroces  
Progenerant aquila columbam*

Demus leonem magnanimum & fortem, turturem castum dici, annon hæc virtuti similia admitteremus, virtutes esse negabimus? Non enim laudabilie ducimus naturæ instinctum, qui à deliberatione, seu prælectione non profiscitur sequi, ut sit à brutis. Hoc porius laude dignum, naturam à semita recti aberrantem, in viam revocare, suadentemq; mala aspernari, & ratione & deliberatione ad meliora flectere.

§. 15. Eæ quoq; actiones, quæ temerè, fortuito, invitè, aut necessitate cogente, & breviter, omnes quas non deliberatio antegressa, virtuosæ ut denominantur, non merentur. Si enim quis carcere, morbo, pauperie & aliis impediatur, quo minus in vitia ruat virtuti ipsius non acceptum ferendum. Nequissimo enim, & hoc accidere potest, ut non aliter ac is, qui gladium alterum offendendi ergo evaginat, excusatus, spectatâ voluntate ipsius non habetur.

§. 16. Dicitur ulterius virtus in mediocritate consistere, i. e. medium inter nimium & parum observare, quippe

*Est modus in rebus, sunt certi deniq; fines,  
Quos ultra citraq; nequit consistere rectum*

Et hoc modo discrimen patet inter virtutem & vitium, quod nequam in mediocritate consistit, sed semper vel in excessu, vel in defectu peccat. Virtutem autem mediocritatem observare patet ab effectibus, & aliis actionibus, quæ damnantur, quod à medio ad unum extremorū accedant, & vel plus vel minus contineant, Virtus itaq; affectuum moderatrix mediocritatem attendat necessum est. Cic. 1. off. Exemplum dat in ira. Prohibenda autem maxime est ira in puniendo: Nunquam enim iratus qui accedet ad pœnam, mediocritatem illam tenebit, quæ est inter nimium & parum, quæ Peripateticis & recte placet. Quod si virtus non observaret mediocritatem ad extrema veniret referenda,

renda, vel excessum vel defectum, & sicut jam unius rei duo dantur extrema, unum medium, ita illo modo unius rei plures darentur virtutes, unum vitium, quod non videtur verisimile, cum una sit forma virtutis, vitij verò infinitæ. Plato 4. de republ. & pluribus modis peccare possimus, quàm beneagere.

§. 17. Occasionem disceptationis dare videtur justitia, quæ inter duo extrema medium observare non videtur. Verùm sciendum Justitiam suam cuiq; tribuere, in eo si peccat, peccat vel nimium, vel minus tribuendo. Nihil ergo obest, quamvis utrumq; extremum uno communi nomine Injustitia denominetur, est enim reipsa duplex. Eodem modo temperantiæ extrema communi appellatione quis haud absurdè intemperantiam vocare possit. Et quia justitia nimium tribuens

*Rara avis in terris nigroq; similissima cygno.*

Cum contra nihil frequentius reperiatur injustitiâ, alteri quod debetur, auferente, ea præ alterâ hoc nomen videtur assequuta. Quod si verò & sæpè homines in nimium tribuendo peccare inciperent, forsan & id justitiæ extremum singulari appellatione donaretur.

§. 18. Dicitur in definitione, ea quæ ad nos est; ut intelligatur virtutem observare mediocritatem non rei, sed personæ, ita ut neq; deficiendo, neq; excedendo peccet, quamvis uni extremorum similitudine quâdam propinquior. Arist. 2. Ethic. 5. Non enim putandum virtutem in puncto exactè constitutam omnisq; remissionis vel extensionis expertem esse. Ut exemplum habeamus, unus potest esse fortis, quem tamen alius fortitudine antecellit, ita Pompejum fortem, Julium tamen Cæsarem eo fortiorem fuisse tradunt.

§. 19. Deniq; dicitur ratione definita, & ut definerit ipse Prudens. Non enim sufficit actiones ex præelectione promanare, cum & malæ & iniquæ ex prohæresi fiant, sed insuper requiritur ratio quæ eas dirigat, ut congruenter & decenter instituantur, & vir prudens semper circumstantias pensitat, priusquam regulas vivendi tradat.

§. 20. Pergimus ad virtutis causas, & initiò ad universalem, quam Deum agnoscit. Ut enim omnis bona actio Deo accepta ferenda, ita etiam virtus. Semina enim virtutum naturæ humanæ implantat, ut discrimen possit facere, si velit, inter honesta, & turpia, quod omnium hominum cordibus inscriptum. Ita in rebus Civilibus, quæ rationi subj-

B

ctæ,

Æ, quilibet potest facere, quod ipsi placuerit, vel intermittere. Epict. in princ. Enchir. c. 3. rerum, ait, aliæ in nostrâ potestate sunt, aliæ non sunt, in nostra potestate est opinio, appetitio, desiderium, aversatio, & ut uno complectar verbo nostræ actiones.

§. 21. Deinde Deus virtutis causa existit, dum nos bonis exemplis invitât, ut ipsum Salvatoris nostri exemplum abundè monstrat, ut & dum Magistratum, quæ est ipsius ordinatio, jubet bonas leges, quibus homines ad virtutes adiguntur, præscribere, & vitiis indulgentes, punire. Imò agentibus benè benedicit, eorum actiones ad salutarem finem & usum deducit, & promovet.

§. 22. Sed quæritur An & Ethnicorum virtutes, actionesq; virtuosæ Deo placeant? sunt qui non modo virtutes Ethnicorum, sed & totam vitam peccata asserunt, quî ergo bonæ censendæ, aut Deo placere possunt? Verùm virtutes considerari possunt, vel ratione essentia suæ, seu quidditative, vel respectu existentia, sic in collatione hujus vel illius personæ. Virtutes Ethnicorum Deo placere potuerunt, quamvis personæ Deo displicuerint. Consonæ enim erant legi divinæ, & ex institis honestatis seminibus, per crebras actiones excitatæ proficiscebantur. Sic Forma regiminis regia, quæ Deum etiam, qui Reges constituit, & regna transfert, authorem habet, bona est, & Deo placet, licet in populo Israelitico Deo non omninò placuerit.

§. 23. Causa propinqua sunt actiones præcepta exercentes. Non enim hoc est virtuosum esse, præcepta de virtutibus imbibisse, sed exercitium & actio debet accedere: Diogenes homines illos, qui pluribus verbis virtutem prædicabant, ad eam tamen vitam non conformabant, similes esse dicebat cytharis, quæ quidem dulcem edunt concentum, nihil tamen intelligunt. Et ut Athenienses ignominia notam quondam accepisse tradunt, quod seniori cuidam in theatrum venienti non cessarent, scientes quid rectum & decens fuerit, sed non præstantes. Ita reprehensionem non puto effugere eos, qui honestatem & rectitudinem, quam norunt, actione non prosequuntur. Hinc Cic. 1. Offic. ait: Consideratè agere pluris esse, quàm cogitare prudenter, omnemq; virtutis laudem in actione consistere. Hæ actiones verò virtuosæ bonam præsupponunt educationem. Educatio quippe plurimum ad conformitatem morum confert, adeo ut ab eâ tanquam fonte totius vitæ felicitas, vel

vel infelicitas æstimanda. Sapienter Romanus ille Sapiens: Nihil magis fecit iracundos, quam educatio mollis & blanda: Ideo unicis, quo plus licet, corruptior est animus. Non resistit offensis, cui nihil unquam negatum est, cui lachrymas folicita semper mater absterfit. Videmus istud in aliis rebus, arbores si earum cura non habetur, incurvari: agros, si cultura eorum negligitur, herbâ irriguâ inhorrescere. Monstrat hoc in brutis Lycurgus, duos catulos iisdem canibus prognatos aliquando reservans, curans ut alter foco, alter venationi assuescat. Produxit deum ambos in Lacedæmoniorum concionem, & tum unus in leporem insiliit, alter in pulmentum. Adeo

*à teneris assuescere mulcum est.*

§. 24. Ad actiones procedentes hæc & similia œconomus inquit. Actiones itaq; crebræ ab intellectu provenientes causæ sunt virtutū, non tamen qualibet actiones crebræ causæ virtutis existunt. Nam & vitia actionibus acquiruntur, ergo insuper requiritur ut eæ actiones honestæ sint, & mediocritati conformatæ. Sicut enim corporis sanitas modico cibo conservatur, nimio vel nullo destruitur; ita & virtus mediocritate mensuratis actionibus acquiritur, nimis corrumpitur.

§. 25. Ut autem actiones virtuosæ dici mereantur, certa quædam requirunt principia, quale unum est spontaneum, ut virtuosæ actio sponte suscipiatur. Spontaneum verò accipimus, non prout inanimatis & brutis licet minus commodè tribuitur. Ut Virg. Eccl. 3.

*Sponte sua Sandix pascentes vestiet agnos*

sed pro voluntario, cujus principium est in ipso agente, sciente singulas actionis circumstantias. principium verò cum dicitur esse in agente, vis simul externa seu violentum excluditur. Violenti siquidem principium non in ipso agente est, sed aliunde provenit, & agens nihil ad eam actionem conferre potest, ut cum duo aut plures robusti lictores aliquem ligatis manibus & pedibus deportant in carcerem Gol. 3. Ethic. 1. Accedit & hæc ratio quod violentas actiones dolor insequatur, virtuosas non item Arist. lib. 1. Mag. Moral. cap. 13.

§. 26. Ab Aristotele lib. 3. Ethic. cap. 1. & alia violenti species refertur, ut quis ab externo quodam principio coactus, vel metu mali compulsus, vel spe boni majoris persuasus, aliquid agat. Sed mixta hæc videtur actio. Respectu enim cogentis invita, respectu verò consentien-

sentientis, imo alterum eorum eligentis voluntaria dici posset. Licet enim quædam actio violenta, ipsa tamen optio vel facultas agendi in nobis sita est, ita ut pro nostro beneplacito, id ipsum vel facere vel intermittere possimus. Ut cum mercator tempestate obortâ, naves quibusdam mercibus exonerat, ne videlicet navis una cum mercimoniis & hominibus intereat. Quo etiam referimus exemplum M. Reguli, qui ut iusjurandum servaret, Carthaginem ad exquisitissima supplicia revertebatur. Cic. 3. de Offic.

§. 27. Ex hisce liquet & voluntatem nonnunquam ab externâ quâdam violentiâ, ad aliquid agendum, quod aliàs non fecisset, adigi posse. Dum enim in periculo, & alio quovis metu, alterutrum oppositorum præligit. e. g. dum viator à latronibus vitam suam redimens bona sua distribuit, hæc distributio boni speciem obtinet, & voluntas ob externum metum vel periculum vitæ præsentissimum, ad eam, tanquam bonum ferri dicitur.

§. 28. Præterea diximus quod agens debeat scire omnes actionis circumstantias, ita ut ne quidem unica primaria circumstantia ipsum lateat, sed ipsi constet de actionis substantiâ, subjecto, loco, tempore, sicut harum circumstantiarum decem Picolomineus grad. 2. c. 12. refert. Hinc Cicero 1. Offic. eum prudentissimum & sapientissimum reputat, qui quid in unaquâq; re verissimum non minus acutissimè ac celerrimè videre potest.

§. 29. Inde sequitur virtuosam actionem non esse, quæ ab inscio perpetratur, non enim est spontanea. Ignorantiâ enim cognitio impeditur, quæ æquè necessario requiritur in virtuosâ actione, ac appetitus. Ita, qui mortis pericula adit, cum tamen nescit ea sibi imminere, fortis nequaquam dicendus.

§. 30. De ignorantia cum dicatur, sciendum ignorantiam aliam esse juris, aliam facti, Juris ignorantia est, quando aliquis contra bonos mores, leges & consuetudines, quas quilibet scire debet, agit. Ignorantia verò facti est, cum singulares quædam circumstantiæ, quas ante actionem prævidere non potuit, ignorantur. Sic Oedipus iter Thebas faciens à Lajo parente, cui obviam veniens de viâ non cesserat, sceptrum percussus, parentem, quem tamen non norat, interfecit.

§. 31. Cum vero spontanea actio etiam in pueros cadat, cum tamen pueri ob intellectus defectum virtuosas actiones edere nequeant. Ut

Ut enim dissimiliter volant aquila & perdix: ita non omnia quæ rationis sunt participia, æquè valent ratiocinandi acumine. Plutarch. in Apoph. Necessum est, ut electio quæ præmeditata est appetitio eorum, quæ à nobis fieri possunt, accedat, ut actionum cum ratione, & sine ratione institutarum discrimen appareat. Cum enim multa nobis agenda occurrunt, ne voluntas cæco impetu alterum pro altero expectat, ab electione informari debet.

§. 32. Non ergò temerè aut fortuitò, sed consultò hujusmodi actiones suscipiendæ, & media excogitanda, quibus ad virtutis habitum tandem pervenire possimus. Sen. lib. 4. de benef. Si prudens esse cupis, in futura prospectum intende, & quæ possunt contingere animo tuo cuncta propone, nihil tibi subitum sit, sed cuncta ante prospicias.

§. 33. Non hic nos præterire oportet hanc quæstionem, quomodo actio possit esse causa efficiens, cum tamen ea sit virtutis effectus, à virtute enim actiones virtuosæ resultant. Ita verò se res habet. Ad virtutis habitum comparandum requiruntur actiones, non tamen sunt virtuosæ, verùm ut hoc nomen mereantur, certa proponuntur requisiti, seu principia, ex quibus fluant, in quibus declarandis hætenus occupati fuimus, Virtus verò dum actio vocatur, exaudiri debet virtuosæ actio, ex habitu virtutis dependens. Itaq; illa quidem benè fiunt, bonæ vero non sunt; hæ & bonæ, & benè fiunt. Ubi Scaliger Exerc. 307. 5. 4. tradit. Illæ ad virtutis habitum tendunt. Hæ sibi ipsis finis sunt. Eodem modo operatio vel actio concurret ad constituendum summum bonum, & tamen summum bonum ipsa est operatio. Sicut ab Aristot. 1. Ethic. Nicom. c. 3. definitur Operatio animæ rationalis, uti supra §. 14. dictum.

§. 34. Subjectum virtutis moralis est homo, à quo & virtuosus quis dicitur. Brutis quippe ut supra §. 14. innuimus, similitudine quâdam virtutes inesse dicuntur. Ratio tamen haberi debet ætatis. Pueri enim virtutis minimè capaces esse videntur, quoniam perfectè non utuntur ratione. Ita Arist. 1. Ethic. 3. & 6. Ethic. 8. Juvenem idoneum auditorum Ethices esse negat. Eorum enim intellectus ab affectibus dominantibus plane captivus ducitur, adeò ut non intellectus, sed affectus, non boni sed pravi electio præponderet. Cui itaq; usui præcepta de virtutibus, si non finem, quo præscribuntur, assequantur suum? Et quemad-



modum Medicus frustra medicinam applicaret, si non amplius pugna morbi cum naturâ, sed morbus naturam superasset: Ita Ethica frustra adhiberetur, ubi pugna rationis cum appetitu effræni defuisset, & affectus totam massam alias puri animi corrupissent. Libenth. Colleg. Ethic. Exercit. 1. quæst. 15. Non tamen hoc de quolibet intellectum cupit Philosophus. Quod si enim quis ratione suâ uti potest, & pugnam illam perferat, quin & virtutis capax sit, non dubitatur.

§. 35. Est ergo virtus in hoc sed mediante aliquâ facultate. Hanc nonnulli statuunt voluntatem, nonnulli appetitum; verum si appetitum solum admittimus, eò etiam prolabemur, ut bruta, quæ quoq; appetunt, virtutis capacia subjecta dicamus. Appetitus itaq; subjectum virtutis erit, sed eâ ratione, quatenus intellectui obediendo fit particeps rationis, & dictamen rectæ rationis non excurit.

§. 36. Licet verò ratio officio suo defungi velit, accedit tamen nonnunquam, ut affectibus, qui acerrimi stimuli, homines contra consilium rectæ rationis impediuntur. Sic Medea apud Ovid. l. 7. Metamorph: conqueritur:

*Sederabit invitam nova vis aliudq; cupido,  
Mens aliud suadet, video meliora proboq;  
deteriora sequor,*

§. 37. Circa affectus itaq; moderandos virtus occupata est, ubi quadrat id, quod Cicero 1. Offic. exigit. Efficiendum est ut appetitus rationi obediant, eamq; non præcurrant, neq; propter pigritiam aut ignaviam deserant, sintq; tranquilli atq; omni perturbatione animi careant. Ex quo elucebit omnis constantia, omnisq; moderatio. Sic Alexander Magnus aliquando à quodam suorum admonitus, ut Darius filias & uxorem admodum formosas spectaret: abnuitt, turpe futurum dicens, eos, qui viros vicissent, à mulieribus vinci, ut legere est apud Q. Curtium.

§. 38. Quod si ergo virtus affectus ita moderata fuerit, & appetitum refraverit, & coercuerit, vel voluptas, vel dolor sequitur. Sunt enim affectuum perpetui comites. Omnis quippe actio vel appetitui est congrua, & dicitur voluptas, vel incongrua & appellatur dolor. Voluptate animus suaviter afficitur, unde etiam ab Arist. 10. Ethicor. 4. perfectæ operationis signum subsequens vocatur. Dolore vero cor  
homi-

hominis funestatur. Unde dolorem à dolando dicunt, quod animum hominis edolet ac minuat.

§ 39. Forma virtutis consistit in mediocritate, dum virtus appetitui & affectibus modum præscribit, & pro ratione circumstantiarum actiones humanas ita dirigit, ut nec in eo, quod nimium vocari, nec in eo, quod minus dici solet, exorbitent, sed rectæ rationi congruant.

§ 40. Mediocritas verò duplex est, alia rei, alia personæ. Rei medium est, quod ab utroq; extremorum secundum proportionem Arithmeticam æquè distat. v. g. Novenarius respectu Senarii & duodenarii medium obinet, & æqualiter ab utroq; distat. Senarium enim superat tribus unitatibus, & rursus tribus superatur à duodenario.

§ 41. Personæ medium, quod hic attenditur est, quod proportionæ Geometricæ observatâ, medium est ratione circumstantiarum, persona, temporis, loci. Ita portio cibi, quæ huic vel illi pro temperamenti ipsius ratione sufficit, respectu illius medium dicitur, respectu tamen alterius vel deficit, vel excedit. Et ut unum exempli loco jungamus, Phago, si Flavio Vopisco in Aureliano credimus, uno die ante mensam Aureliani Imper. Aprum integrum, centum panes vervecem & porcellum comedit. Quis hunc cibum aliis hominibus non nimium & immodicum diceret, qui tamen Phagoni vix modicus fuit.

§ 42. Non tamen inde colligendum, ac si virtutis essentia variabilis. Virtus enim ut habitus constans & immutabilis est, licet actiones suas pro ratione circumstantiarum cum rectâ ratione, quæ regula mediocritatis, mutet.

§ 43. Virtus hoc modo considerata, tanquam bonus habitus, quatenus videlicet est intellectûs perfectio, & capistrum appetitûs bonum efficit, quod est finis illius, qui virtuti adscribitur, non tanquam principaliter operantis, sed tanquam medio seu instrumento.

§ 44. Dein virtus inservit homini, ut ipsum beatitudine morali, & voluptate perfundat, quæ maximè ex summò Bono fluit, non talis quâ gaudebat Sardanapalus Assyriorum Rex, qui ad eò voluptatibus diffuebat, ut ne per horam illis carere posset, & cum adhuc in vivis lapidem sepulchralem sibi parari curavit, hæc cum inscriptione. Hic jacet Sardanapalus: Ede, bibe, lude.

§ 45. Deniq; virtus etiam alteri inservit, dum proximo sese communi-

municat, & ejus commodum quærit. Sic qui liberalis, non sibi tantum, virtuosus est, sed & operationem suam extra subjectum in alterius emolumentum convertit, patri modo fortis, non sibi modò, sed & patriæ commodum præstat.

§. 46. Virtutis causâ absolutâ, videamus, quomodo virtus parari queat. De eo verò authores varias præscribunt præceptiones seu regulas, quarum prima est: Agere oportet juxta ductum rectæ rationis, ut ne id quod bonum videatur, sed quod reverâ tale est, non quod liber, sed quod circumstantiis ponderatis honestum réperitur, arripiamus. Ratione duce, per totam vitam eundem est, minima maximaq; ex hujus consilio gerenda sunt. Sen. 2. Benef. c. 17.

§. 47. Altera: Medium attendere oportet virtutis studiosum ne

— — — *Velut Jcarus olim*

*Disjunctâ compage ruas penninq; solutus*

Cum vero medium invenire sit difficile, felicitatis avidus ab eo extremorum, quod maxime est adversum, summo studio recedat, à vitio quod sibi per naturam maxime familiare persentiscit, declinet, & in contrarium ejusdem incliniet, ita qui proclivis ad timiditatem, audaciæ operam navet, ut ita paulatim ad fortitudinem perveniat; ita tamen in contrarium niti oportet ne denuò in oppositum vitium incidamus, ne id quod Lyr. lib. 1. Serm. 2. in nos quadret: Dum vitant stulti vitia, in contraria currunt.

§. 48. Deniq; vitanda est corporis voluptas, quæ facile nos dulcedine suâ inescat, & à recti tramite in avia ducit, unde Cicero in Lælio statuit: Nihil actum, nihil magnificum, ac divinum suscipere eos posse qui omnes suas cogitationes abjecerunt in rem tam humilem, tamq; contemptam. Sed virtutis amore, quicquid molestiarum sese obtulerit, strenuè devorandum, quod si dein cum animi voluptate ea agere, quæ antea ægrè & cum difficultate fiebant, sentiamus, virtutis acquisitione certum esse poterit indicium.

§. 49. Dividunt virtutem mortalem in imperfectam, perfectam, & perfectissimam. Imperfecta est, quâ appetitum indomitum & reluctantem rationi subijcimus. Virtus enim perfecta cupiditates & appetitû planè & plenè domitû sub fræno rectæ rationis continet. Imperfecta vero nondum plenum habet in appetitum dominium, sed magna

CUAL

cum lucta cum ad officium revocat. Donald. Synops. Ethic. lib. 5. cap. 12.

§. 50. Duæ verò virtutis imperfectæ dantur species, Continentia, & Tolerantia. Continentia est dispositio sequens rationem rectam, qua homo affectus inordinatos, præprimis vero alimenti, & veneris rectæ rationi reluctantes invitos conatur subjicere.

§. 51. Objectum ergo continentia sunt voluptates, quæ percipiuntur ex divitiis, honoribus, cupiditate vindictæ, & inprimis, quæ ex cibo. potu, & venere proveniunt. Hinc Pericles Sophocli pulchrum puerum prætereuntem commendanti respondit: At enim Prætozem Sophocles, decet, non solum manus sed oculos abstinentes habere. Cic. 1. Off. & idem lib. 5. Epist. ad Atticum definit continentiam virtutem, quæ voluptati resistat.

§. 52. Quamvis verò continentia idem fermè cum temperantia objectum participare videatur, cum ea tamen non coincidit, sed in eo differt, quod Continentia latius pateat, quam Temperantia. Dein quod temperans suos affectus ita domitos habeat, ut ultro rectæ rationi pareant. Continentia verò qui studet, pravæ suas cupiditates adhuc habet reluctantes, quibus cum commotione resistat necessum est, priusquam eas in obsequium rationis possit ducere. Deniq; temperans agit consulto, ex plena voluntate, & promptè, continens verò modo ex affectu, difficulter & cum lucta imperfectè.

§. 53. Continens peccare potest, vel si voluptates adeo averfatur omnes, ut nec propter honestam voluptatem aliquid laude dignum suscipiat, vel si se contra judicium rectæ rationis à pravæ cupiditatibus permittat abripi, puta, si sciret omne vitium esse fugiendum, nec tamen hoc ipsum suis actionibus applicare sciat, vel negligat.

§. 54. Altera virtus imperfecta est Tolerantia, quæ est dispositio, qua res adversas, & quæ nos dolent, honestatis gratia perferre laboramus? Objectum ergo Tolerantia sunt, res adversæ quæ cum dolore sunt econjunctæ, adeò ut iis facilè possimus succumbere. Sed dubium movet fortitudo, quæ etiam circa adversa occupata est, Ad hoc respondetur: Fortem adversa illa, & formidabilia immoto animo adire, tolerantem verò ea modo ferre, & quidem non immoto animo, sed cum molestia & pugna quadam.

§. 55. Peccare verò potest Tolerans tum si plane nullos dolores vel

C

mole-

molestias, tum si quasvis molestias non habita honestatis ratione, ex obstituto animo perferre vellet. Quo spectat, quod de Spartano puero referunt, cum videlicet cum vulpem furatus esset, eamq; sub veste occultaret, eaq; ipsius latus ad intestina roderet, hosce dolores dissimulasse, Objurgatus tandem ab aliis, melius fore ut detegeret bestiam quam propter eam vitam finiret, respondit: Imò præstat doloribus immori, quam hoc modo famæ notam insingere, ut vitam ignominiosam lucri fecisse dicar.

§. 56. Quæ ante hæc dicebantur, virtutem perfectam concernebant. Ipsa verò virtus Moralis versatur amplius, vel circa corpus hominis, ut Fortitudo, Temperantia; Vel hominis bona & mala. Ita liberalitas & Magnificentia hominem reddunt aptum ad dandum vel accipiendum quid & sumptus faciendos, ut ne sicut Cleopatra, quæ in una coena incredibilem fermè summam pecuniæ absumpsit, & unione in aceto resolutum liguriendo absorpsit; Modestia & magnanimitas circa capescendos honores. Mansuetudo circa refræmandam iram. Unde Sigismundus Imperator, beatos futuros Reges & Principes censuit, si exclusis à gubernatione fastuosis, mansuetudinis, gravitatisq; cultores in curiam assciscerent. Hinc Ovid. 3. de art. amand:

*Scilicet ingenium placida mollitur ab arte  
Et studio mores convenienter eunt*

Imò in conversatione quoq; virtutis vis elucescit, dum homines instruit ut unus cum altero comiter & urbanè conversetur, ut inter conversandum, quod in qualibet re obtinet virtutis amore simpliciter & apertè fateamur. Deniq; & in privatorum contractibus cernitur, ut justitiam observemus & alteri non faciamus injuriam. Sunt quidem nonnulli, qui plures virtutes constituendi pruritu laborant, dantur & quidam, qui pauciores, ut Menedemus Eretriensis, quem unam tantum constituisse virtutem testatur Plutarchus de virtute Morali in initio. Tutior tamen via nobis videtur, quam nobis Aristoteles monstrat, quem etiam sequuti.

§. 57. Virtutem perfectissimam: denominare solent virtutem Heroicam, quæ est summa perfectio humanam sapientiam superans, quæ se in actionibus civilibus exerit. Requirit ut Heros opera grandia non timidè aut trepidè sed cum animi alacritate egregia suscipiat, & non  
susci-

suscipiat modo, sed & expediat. Non enim sufficit magna moliri, hoc enim & temerarius potest, sed necesse est, ut eventus conatibus respondeat.

§ 58. Unum adhuc restat ut & oppositum virtutis paucis perstrin- gamus, Opposita enim juxta se posita magis elucescunt. Est verò vitium morale oppositum virtutis, quo ea in vita sectamur, quæ à modo & mediocritate aberrant, sive id in excessu, sive in defectu fiat. Ut verò virtus ex prælectione fit, ita etiam vitium erit, cum consulto, & cum prælectione mala perpetramus. Sicuti enim signum acquisitæ virtutis est, si bene agimus cum animi voluptate, ita & signum vitiosi habitus erit, si turpia & mala, quæ perpetramus, non solum delectant, sed & placent. Et talis promptitudo superveniens inclinationi, à malis orta vitium denominatur.

§. 59. Opponuntur vitia tum virtutibus, tum inter se. Virtuti op- ponuntur Privativè, dum ubi vitium est in subjecto, ei virtus denega- tur. Virtus enim norma ac regula est actionum honestati & rectæ rati- oni quæ conformes sunt. Vitium verò est principium earum actio- num, quæ honestatis expertes rectam rationem exspuunt. Et summa- tim omne quod virtus in subjecto habili ponit, id omne vitium aufert & demit.

§. 60. Inter se verò vitia opponuntur contrariè, quatenus videli- cet sunt qualitates longissimè distantes. Non verò mirum alicui esse debet vitia duplici modo Privativè, & contrariè opponi. Fit enim hoc diverso respectu. Formalis ratio vitii qua in convenit excessus cum defectu, est privativum quid, quod fundamentum est oppositionis pri- vativæ, & eo modo opponuntur vitia virtutibus. Datur etiam aliquid positivi, quod est fundamentum contrarietatis, & excessum secernit à defectu.

§. 61. Quæritur hic, an sit major pugna duorum extremorum in- ter se, quam cum Medio? quod affirmatur, & rationem dat Philoso- phus eam quod virtus cum utroq; extremorum quandam habeat affini- tatem, licet cum altero majorem, cum altero minorem. Sed & hæc subungi posset, quod extrema à se mutuò majori intervallo distent, quam à medio, quod virtus, quæ inter illa duo extrema interjacet.

§. 62. Quæritur ulterius, An excessum magis ac defectum cavere debea-

debeamus? Cicero quidem ait: Suus cuiq; modus est, tamen magis offendit nimium quam parum. Sed nobis videtur nihil definite posse statui, sed ab eo nobis esse temperandum, quod longissime à virtute abest. Nonnunquam enim defectus virtuti similior, nonnunquam Excessus.

---

## COROLLARIA.

I.

*An civitas, prior sit domo? Dist.*

II.

*An aliquis duarum civitatum civis esse possit? Neg.*

III.

*An legati sint sancti & inviolabiles? Aff.*

IV.

*An Imperium nostrum quo in vivimus rectè dicatur Romanum? Aff.*

V.

*An Doctor bullatus privilegiis Academicorum gaudeat? Aff.*

VI.

*An Princeps in suo Territorio tantum possit, quantum Imperator in Imperio? Aff.*

VII.

*An Imperator A. B. abrogare possit? Neg.*

VIII.

*An Imperator cum statibus Imperii in eorum territoriis cum Jurisdictione concurrat? Aff.*

IX.

*An Imperator Antecessoris sui facta adimplere & approbare cogatur? Disting.*

X.

*An à Sententia Imperatoris provocare liceat? Negi  
Tantum.*



Sunt, qui superbiam nitentis argenti  
Auriq; laudant vani divitem fluxum,  
Aut optimi salivam cogitant vini  
Wilhelme semper; crede, non agit tale  
Mens orta cælo, ne suæ inhiat quondam  
Corruptioni, & suscitabulo probri.  
Is optimè, quemcunq; sana virtutis  
Via hæc vehit, quam paginis tuis monstras  
Amplecterisq; maeste tanto, quæso, conatu  
Adsitq; dispensatio D E I fausta.

Ita Præstantissimo DN. Respondenti vovet  
PRÆSES.

*Est Virtutis opus, Virtutem inquirere & Usus  
Virtutis monstrare, ut Virtuti studeamus.*  
Hoc WILLHELME satis perpendis, *dulcis  
Amice.*

Quem simul una fames domus unaq; jungit  
amica,

*Virtutem* scrutaturus sub Præsede claro,  
BERLICHIO nostro, Magni non degener hæres  
Qui patris est. Precor ut felici fidere ceptum  
Promoveas studium: crescas *Virtute* & Honore  
Doctrinâ atq; Annis, & eris pergratus ubiq;

*Es hoc planè cordicitus*

*M. Elias Sigismund Reinhart.*

A 3

De




**D**E Virtute theses, quas profers, Suavis Amice.  
Veræ Virtuti Te studuisse probant.

*Perge: sacris porrò totus Virtutibus mota* *in sta*  
Cantabit laudes postera fama tuas.

L. M. Q. Amico & Commensali suo suavissimo  
adponebat


Theodorus Pflug/Nob. Oldenburg.



**H**Æc quæ publicitus proponis themata, vera  
Nobis doctrinæ sunt monumenta tuæ  
Pergito sic, HILLEN, succedent digna brabeja;  
*Qua meruit Virtus, Herculesq; labor.*

*Ita amico suo dilecto ex animo  
gratulatur*

Henricus Kerker, Frisius  
Jeverensis.



**D**um quid sit virtus noster scrutatur amicus.  
Dicere quis renuet: Rem facit ingenuam.

Hæc amicissimo suo apponere,  
voluit

Johannes Grambs,  
Mæno Francof.  
Ethica

EThica formandis est motibus, atq; ita praxin  
Postulat, haud aliâ vult ratione coli.

Quicquid Aristoteles hîc scripsit, & ordo So-  
phorum

Relliquus, haud *noscas* scripsit, at ut *facias*.

Qui satis esse putet moralia *scire*, fatebor,

Hic nuce vel cassâ non redimendus erit.

Nullus is imprimis, qui de virtute loquatur,

Et virtutis opus negligat ipse tamen,

HILLI tu bonus es vir es bonus Ethicus HILLI,

Cur? quia virtutes *dicis*, & ipse *facis*.

Honoris & Benivolentia causâ Amicorum  
optimo Lmg, apponebam

Jacobus Dringenberg, Rostoch.











Sunt, qui superbiam nitentis au-  
 Auriq; laudant vani divitem f-  
 Aut optimi salivam cogitant  
 Wilhelme semper; crede, non agit  
 Mens orta caelo, ne suæ inhiet quor-  
 Corruptioni, & fuscitabulo probri-  
 Is optimè, quemcunq; sana virtuti  
 Via hæc vehit, quam paginis tuis m-  
 Amplecterisq; maeste tanto, quæ  
 Adsitq; dispensatio D E I fausta.

*Ita Præstantissimo DN  
 PRÆ*



Est Virtutis opus, Virtutem inq;  
 Virtutis monstrare, ut Virtu-  
 Hoc WILLHELME satis per-

*Amice.*

Quem simul una fames domus  
 amica,  
 Virtutem scrutaturus sub Præside  
 BERLICHIO nostro, Magni non  
 Qui patris est. Precor ut felici fide  
 Promoveas studium: crescas Vi-  
 Doctrinâ atq; Annis, & eris pergr-

*Et hoc pl-*

*M. Elias Sigis*  
 A



the scale towards document